

6.]

1978

M

488





av. egl. P1 = Ch 4024

DE
LVCANI PHARSALIA
DISPV TATIO

QVAM

10

EX AVCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHICI AMPLISSIMI

A. D. IANVAR. GLDIOCCCLXVIII.

DEFENDENT

IOH. GEORG. MEVSEL
PHILOSOPHIAE ET LITTERARVM ELEGANTIORVM DOCTOR,
INSTITVTI REGII DISCIPLINARVM HISTOR. QVOD GOTTINGAE
FLORET, ET SOCIETATIS LATINAE MARCHICO BADENSIS
SODALIS

ET

IOH. CHRISTLIEB KOENNECKE
MAGDEBVRGICVS,
THEOLOGIAE ET LITTERARVM ELEGANTIORVM CVLTOR.

PARS POSTERIOR.

HALAE

EX OFFICINA CVRTIANA.



DE
LVCANI PHARSALIA
DISPUTATIO

EX AVCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHICI AMPLISSIMI

A. D. JANUARII MDCCCLXXXVIII

DEBENDI

IOH. GEORG. MEYSEL

PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM ELEGANTIORUM DOCTOR,
INSTITUTI RECH DISCIPLINAE HISTORICAE ET POLITICAE
PUBLICE PROFESSOR, ET SOCIETATIS ACADEMICAE MAGNIFICAE HADENSIS
MEMBERUS



Kapitel 78 M 488 (6)

IOH. KRISTIAN KÖHNIGKE

MAGDEBURGICVS

THEOLOGIAE ET LITTERARUM ELEGANTIORUM DOCTOR

AK

PARS POSTERIOR



DISPUTATIONIS
DE
LVCANI PHARSALIA
PARS POSTERIOR.

— — Nil fuit unquam

Sic impar sibi — —

Homine olim vsus sum non indocto, rerumque grammaticarum gnarissimo. Qui, cum aliquando eum, quid de Lucani Pharsalia sentiret, interrogarem, mihi respondit: Non magni, vera loquor, carmen illud aestimo, parumque abest, quin id plane contemnam et reiiciam. Hem, fodes! ego, qua tandem ex causa? Perlegi Pharsaliam, inquit meus, a capite vsque ad calcem; sed, bone deus! quot turpia contra aureae Latinae linguae aetatis consuetudinem peccata! quot aberrationes a regulis Virgilianis! quot structurae orationis contortae, sinistrae et obliquae! Quid ego? prorsus obmutui, ampliusque

A

Pri-

Prisciani nepotem audire piguit. Sed ita est. multa criticorum clarissimorum scripta legi, in quibus huius hominis sententiae inueni haud dissimilia. De syllabis et formulis anxie quaerunt atque rixantur misere; veram ac diuinam carminum vim et potestatem negligunt, aut, quasi haec sint viliora, respuunt ac pro nihilo putant. Gratias hisce Scioppii affectis habeamus necesse est, eorumque quietem, dum ad magnificum elegantioris utiliorisue doctrinae templum contendere animus est, turbare nolumus a); vti enim interdum possumus illorum quaestiunculis. Sed nunc virorum ab Eridos stirpe oriundorum cohorti me immiscere nolo. Vereor enim, ne homo quidam umbraticus mihi, non satis illius mysteriis initiato, caput lumbosque flebiliter contundat.

Aliam in Pharsalia aestimanda critices partem amplecti iuuat, quae (auditis *Klotzii* Viri Perill. verba) b) nescio an nobilior, certe iucundior, ipsam poetarum artem examinat, de ingenio scriptoris iudicat, venustatem et elegantiam carminis explicat, sententias, figuras et verba ad leges veri et recti iudicii exigit. Et in ipsa hac scriptioe raro sequar artis nimis imperiosae praecepta; non regulas ponam, vt nuper quidam satis ridicule fecit, ex *Batteusii* aut *Bodmeri* libris petitas, et cuiuscunque earum litteris, vt ille, minutioribus subiciam exempla: sed ea partim, quae hoc meo sensu, paullulum certe exercitato, percepi bona aut mala, partim, quae ab aliis naris emunctioris viris recte de Lucano prolata sunt, ad veram Pharsaliae aestimationem, quantum per temporis breuitatem aliaque negotiola fieri licet, diligenter afferam.

Mihi vero semper maxime sese commendauit *du Bossii*, acutissimi ingeniosissimique elegantiarum arbitri, sententia. „Opus, inquit ille, vile esse potest atque ieiunum, licet artis praecepta et regulae in illo religiosissime sint obseruata: egregium contra et praestantissimum illud recte existimari potest, licet saepissime regulae neglectae sint. -- Opus quodcunque, an moueat nos, an placeat, an egregium sit atque diuinum, sensus nos multo aptius docent, quam

„omnes

a) vid. le Temple du Gout de Mr. de Voltaire.

b) vid. Opuscula varii argumenti p. 115.

„omnes criticorum disputationes.„ c) Multa alia idem habet censor pulchri et venusti amabilissimus, dignissima, quae huc transferantur: sed angustiae, quibus circumscriptus sum, voluntati obsunt. Quo circa eorum in gratiam, quibus recentiorum iudicia inania audiunt atque futilia, *Ciceronis* et *Quintiliani*, cui secundum ab illo locum tribuit *Gesnerus* d), adscribam opiniones grauissimas. Ille igitur: „Omnes tacito quodam sensu, inquit, sine vlla arte, aut ratione, quae sunt in artibus ac rationibus recta ac praua, diiudicant: idque cum faciunt in picturis, et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti; tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio; quod ea sunt in communibus infixis sensibus, neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. Itaque non solum verbis arte positus mouentur omnes, verum etiam numeris, ac vocibus.„ e) *Quintilianus* eadem fere: „Propter quae mihi semper moris fuit, quam minime alligare me ad praecepta, quae *καθολικα* vocant, id est, (vt dicamus quomodo possumus) *vniversalia* vel *perpetualia*. Raro enim reperitur hoc genus, vt non labefactari parte aliqua aut subruui possit f).„

Haberis, lectores, consilium meum, haberis rationem. At

Nunc animis opus -- nunc pectore firmo!

Quomodo etiam ego non essem timidiusculus? Conor enim disputationis genus haud leue, haud facile: sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, et semper amaui

dulces ante omnia Musas,

Quarum sacra fero ingenti percussus amore.

Quaerat per me, quicumque ille tandem sit: Tune is, cui confidere recte possumus? tenesne illam ingenii dexteritatem maturitatemque, quae omnino ab operum politiorum aestimatore et iudice requiritur? satisne instructus es necessaria iudicii et acuminis vi? Merito quidem

A 2

c) vid. Reflexions sur la poésie et la peinture P. II. Sect. XXII et XXIII.

d) vid. Thesauri epistolici Gesneriani, a Perill. Klotzio nuper editi, Vol. I. p. 142.

e) vid. Cic. de Orat. III, 50.

f) vid. Instit. orat. II, 13, 14. p. 92. edit. Gesner.

dem haec interrogantur, ipse etiam eadem me interrogavi: sed, cum alia magis forte polita et limata in scriniis haberem, hanc tamen potius de Lucano suscipere volui scriptionem, ut, si libello quodam umbratili siue, ut vocant, *academico* (quod scriptorum genus plerumque solet esse ἐΦήμερον) haec proponerem, amicorum iudicia, vituperia aut suffragia tutius colligere, atque limae acriori aliquando libellum subiicere, eumque sic exornare valerem, ut in publicam prodire lucem omnibusque harum rerum arbitris aestimatoribusque maiore cum fiducia sistere sese possit.

Omnem nostram de Pharsaliae pretio recte constituendo disputandi rationem melius felicisue utique processuram esse arbitror, si quaeram ante omnia, quo consilio, quo fine commotus Lucanus carmen hocce componere aggressus sit? Forsan orti terendi gratia? non repugnem. Certe cum eques noster diuitiis affluens nec honores popularium ambiens suauiter deliresceret in hortis suis marmoreis g), fieri sane potuit, ut animi et voluptatis causa Musas conuocaret, earumque choreis sese adiungeret. At certo non constat. Forsan igitur gloriae famaeque cupiditate incensus? haud abnuam. Coniecturae certe huic fauere videntur versus, quibus carmini immortalitatem poeta vaticinatus est h). Sed hoc quoque aduersarius per me non credat. Quid igitur? Deane Libertas vatem nostrum afflavit, *stimulosque sub pectore vertit*? Vertit, si quid video. Vnde enim odium illud in Caesarem, libertatis Romanae oppressorem, plane Vatinianum? Vnde acerbae istae popularium inertiū dominisque adulantium obiurgationes? Vnde Menippea illa in Neronem satira? Aut omnia me fallunt, aut imperatoris huius crudelitas immanis, quam alii quoque eius aetatis poetae tanta animi vi tantoque ardore

g) Iuuenal. Sat. VII, 79 sq.

*Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis.*

h) vid. L. VIII. vs. 980 sqq. Laudavi hos versus in fine disputationis prioris ob spiritum nobilem ac generosum. Quam sententiam meam confirmavit Perillustr. *Dargensius*, cuius T. IX libri, qui inscribitur: *Histoire de l'esprit humain*, post editionem opusculi mei lucem vidit. Ille igitur (p. 63) laudat et defendit Lucanum propter hos versus contra *Causinum*, qui illos arrogantiae plenos esse iactauerat, similiaque poetarum recentiorum vaticinia commemorat.

ardore exagitarunt deestatique sunt, feruitusque inde enata, plane ingenio libero intolerabilis, instigarunt et impulerunt nostrum, vt Iulium Caesarem, tyrannidis auctorem Neronisque inter maiores, tanquam iniustissimum imperii latronem, Pompeium autem, tanquam libertatis dulcissimae vindicem atque statorem, coloribus pingeret ac repraesentaret ardentissimis ita, vt populi Romani spiritus refocillaret, eique animos adderet, quibus nixus tyrannum nequissimum tollere et in libertatem vindicare se auderet. Consentientem habeo *Welwoodium* i), idemque agnoscere videtur *Marmontelius*, (licet non aperte de Lucani consilio disputet) cuius verba margini adscribere haud poeniter k). Quibus lectis eo magis mirari licebit, quomodo Francogallus ingeniosissimus in animum sibi inducere poterit, Lucanum versibus in priore libelli nostri parte recensitis l) humili et anili ratione Neroni adlatum esse.

Lucani mei animum moresue si vobis, lectores, pingere possem, qualem figuram putatis me vobis esse exhibiturum? quam imaginem videretis? Imaginem Protei, mehercule! Protei, qui

*Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluuiumque liquentem.*

Rem narras miram! Vtique miram. Quomodo vero ego aliter possem? A consuetudine multorum criticorum reuerso et percusso tam varium, tam multiplex Lucani ingenium apparuit, vt verus mihi

A 3

videre-

i) vid. eius praefatio ad Rowii versionem Pharsaliae Anglicanam.

k) Postquam de Caesaris clementia et aequitate Francogallus illustris dixerat, Lucanum iniustum in moribus huius imperatoris describendis se gessisse contendit. et sic pergit: *Le fanatisme républicain l'avoit rendu injuste. Il ne voyoit dans César que le fondateur de la tyrannie; et détestant l'effet dans la cause, il a fait de César un homme violent, injuste et cruel comme ses successeurs. C'est une faute pardonnable à un Romain, sujet de Néron. Mais dans ce système, l'audace de son style est quelque chose d'inconcevable.*

Proxima quid soboles, aut quid meruere nepotes

In regnum nasci? Pauide num gessimus arma?

Teximus an iugulos? alieni poena timoris

In nostra ceruice fedet.

Quand on écrit de ces choses-là sous un tyran tel que Néron, il faut s'attendre à mourir jeune. Vid. Praef. vers. Pharf. Francogall. p. LXXVIII.

l) pag. 18 sq.

videretur Proteus. Alii enim Theologum, alii Philosophum, alii Physicum, alii Astronomum, alii Geographum, alii Historicum, alii Poetam historicum finxere vatem optimum. Cui idem fere obtingit, quod Mosi, historico antiquissimo, quem etiam in varias transfigurarunt formas; quem historicum, poetam, chymicum, philosophum fecere. Ego vero in praesenti, ne creem cuiquam molestias, haud morabor in omnibus istis commentis: sed ostendam solummodo, quantum potero, Lucanum quidem esse poetam, sed nec merum historicum, nec poetam epicum, nec didacticum, verum potius poetam historicum.

Splendidas FRIDERICI MAGNI res gestas si quis temporum quidem ratione habita, sed lyra simul ab Apolline ipso concessa, felici nobilique audacia oreque magna sonaturo caneret, easque ita oculis nostris subiiceret atque pingeret, vt non narrari ea viderentur, sed nos res tanquam praesentes intueri cernereue putaremus; ex quo sacrario prodidisse illum crederetis? nonne e sacrario poetarum? Quis vero non miretur, Lucanum, poetarum mysteriis sanctissime initiatum, a nonnullis inconsiderate satis ablegatum fuisse ad historicorum circulos, penitusque exturbarum e poetarum choris? Mirari tantummodo haec licet, refutare piger. Illud, quod Cel. *Marmontelius*, et ante eum alii affirmarunt, aduersariis iam silentium suadere potest: *Omnis oratio, perfecte viuideque pingens actiones animique sententias, recte poema appellatur m)*. At qualis quantusque pictor saepe apparet Lucanus! n).

Sed Lucanus presse sequitur historiam, regerit alius, omnes nobis tradit causas, quibus commotus Iulius Caesar bellum intulit reipublicae Romanae; omnia paene narrat; qui tumultus, quae turbae exortae sint, exponit; pugnas proeliaque describit; multa ille docet, quae docuerunt Caesar, Suetonius, Plutarchus, alique. -- Dixisti pulchre. Sed finge, ista rerum gestarum monumenta temporis aut barbariei iniuria nobis esse erepta; nihil plane de bello ciuium Romanorum

m) Tout discours qui peint vivement mérite le nom de Poëme. v. *Poet. françoise T. II. p. 524.*

n) Alia ratione, nec indocte, Lucano facultatem poeticam vindicat *Bersmannus*, in Praef. ad *Lucani Pharsal.*

manorum tristissimo in veterum annalibus reperiri; solum exstare Lucanum, qui haec omnia seris retulerit nepotibus; rectene fidere illi poteris? nonne libenter tibi persuadebis, omnia ab eo narrata non maiorem mereri fidem, quam quae narrarunt Iliados et Aeneidos conditores? Haerebis certe, valdeque fluctuabit animus. Sentisne?

-- *Non Apollinis magi' verum, atque hoc, responsum est.*

At vero, quum melior fortuna nobis seruauerit illorum temporum rationem et fata, Lucani carmine sic vti licet, vt ea, quae historia non fucata exposuit, iucunditatis gratia cum illo comparari, ex eoque illustrari possint. Nunquam igitur persuader mihi patiar, Lucanum conscripsisse tantummodo historiam o).

Si Pharsaliam a poesi epica alienam esse contendimus, nec temere, nec sine ratione id accipi volumus. Operis ambitus, dispositio, ordo, longissime recedunt ab arte consilioque Homero: sed orationis robor, soni grauitas, cantus poetae grandior et sublimior, nisi per totum carmen, tamen in plurimis eius partibus, proxime accedunt ad spiritum heroicum, adeoque haud raro illi sunt simillima. Adscribat igitur hac ex ratione, qui velit, Pharsaliam poesi heroicae; modo id non audeat sine iusto discrimine. Lubenter illi largiar, *Kleistio* ab Apolline spiritum *Klopstockio* non plane indignum datum fuisse, cum poema nobilissimum, *Cissides et Pachis* incriptum, caneret: sed idem ille, artem carminis poetae defuisse, aut potius, noluisse eum conficere *επιποιήαν*, amice mihi concedat.

Quid vero dicamus de Pharsaliae argumento? Maiestatine et sublimitari epicae illud aduersatur? Neutrquam aduersatur. Belli ciuilis tristissima facies, rerum Romanarum inde consecuta vicissitudo, fortunaque vis atque potentia, virorum de rerum summa, de imperio, quod tunc temporis orbis terrarum nomine continebatur, certantium fortitudo, ingenium et artes, profecto non inferiora sunt bello Iliaco, quid? quod maioris momenti ac superiores existimes rebus Graecorum aut Troianorum res Romanas, de quibus agebatur eo tempore, quo

o) Alia, quae huic argumento eiusque explicationi et illustrationi vberiori inferuire possint, copiosius aliquando exponere animus est, vbi de finibus poeseos et historiae recte constituendis differendi occasio erit.

quo genus humanum arte reconditiore se inuicem raperet in perniciem. At, si quis ex me quaerat, quomodo vsus sit hoc argumento nobiliore Lucanus? vatisne Maeonii vestigia in opere disponendo presserit? ferat a me responsum:

Dicere res grandes nostro dat Musa poetae:

sed vix a me impetrare potero, vt purem, res hasce grandes Pharsaliae scriptorem in eum vsum conuertisse, in quem suas conuertit Homerus. Quid enim, si ita in argumento suo versari voluisset, faciendum illi fuisse putes? Dilectum rerum gestarum instituere, non ab ouo vsque ad mala singula narrare, ipsius actionis ordinem more Homericico siue Virgiliano inuertere et commutare, ingeniose multa inuenire atque fingere, aliaque poetae epici officia haud negligere debuisset. Atqui omnia alia Lucanum egisse, quisque statim intelliget, qui totam Pharsaliam perlegerit.

Quomodo vero discernenda sit poesis historica ab epica, non facile quisquam melius, elegantius et doctius exponere poterit, quam Ill. *Belius*, cuius humanitatem summam non aegre laturam esse speramus, si eum pro nobis loquentem induxerimus. Vir igitur illustris, nosque cum illo, sic: „Simplici, et a rebus ipsis desumpto ordine incedit „Historia Poetica; at illum Heroica Poesis adeo dedignatur, vt potius medias in res inuolet, tumultu et procellis mixtam rempublicam, aut luctantem cum malis atque aduersa fortuna regem vel ducem aliquem militiae primum omnium producat; deinde vero ex his turbis progressa ad rei initia ipsa gradum flectat, rursus ad exitum properet, parum certo loco aut quieta consistens. Illa in summa rerum nihil mutare audet, fidelis interpres eorum, quae ex testibus accuratis accepit: et si quaedam verbis et figuris maiora reddit, laudandi hoc potius causa facit, quam vt historiae sinceros vultus fucis obducere conetur. Haec contra non alia re foecundior et admirabilior cernitur, quam fingendis ad veri speciem diuinis et humanis, quorum ope tenuitas narrationis augustiorem formam contrahat, res gestae coelum ipsum contingere videantur, nec terrarum finibus concludantur et mortalium viribus, etc. p).

Omni-

p) vid. egregia illustr. *Belii* de historia poetica dissertatiuncula. Lips. MDCCCLXVII.

Omnibus certe poetis epicis legi et normae fuerunt, quae *Aristoteles* ex perfectissima Homeri *ἑρπονίῳ* deriuauit, composuit, rationibusque philosophiae confirmauit praecepta. Ille igitur praeter alia docet, poesin epicam non sequi historiae rationem; hanc enim non vnam tantum exponere actionem, sed omnes res ab vna pluribusue personis gestas, atque inter se, vt euenit, cohaerentes. Hanc regulam multos violasse poetas, adicit philosophus 9). Ergone Lucanus quoque illam violauit? Fortasse; licet poeta multarum rerum gnarissimus non ex incertia huius aliarumque regularum, quam studio et industria peccasse mihi videatur, si modo illud est peccare, vbi animus plane non fuerat, carmen epicum, sed potius carmen historicum pangere.

Instant autem alii, et in iis *Homius*, qui sine vlla dubitatione omnia opera, in quibus actiones heroicae oratione sublimi efferuntur, epica esse contendit r). Sed quis, obsecro, huic sententiae vagae fidem habere poterit? Quam mire totius poeseos regulae opinione hac stabilita turbarentur? Diuina cerre poemata *Gleimii* nostri, carmina illa turbera, quibus profecto summa inest sublimitas atque

9) — Δῖλον, — μη ὁμοίως ἱστορίας τὰς συνήθη εἴρη (seu potius ex Victorii emendatione: μηδεμίαν ἱστορίας τὰς συνήθη εἴρη) ἐν αἷς ἀνάγκη εἶναι μίαν πρόθεσιν ποιητικῶν διδασκῶν, ἀλλ' ἐνὸς ἕρποντος, ὅσα ἐν τῷ συνήθει περὶ ἑα ἢ πλείους, ἢν ἕκαστος, ὡς ἐτύχεν, ἔχει κατὰ ἀλλήλια. — Σχεδὸν δὲ οἱ πολλοὶ τῶν ποιητῶν τῶτο ὁρῶσι. vid. Aristot. Poet. cap. XXIII. cf. cap. VIII.

Horum verborum sensum optime explicauit Cel. *Curcius* in commentario versione Theoreticae Poeticae Aristoteleae adiecto p. 304: Das Heldengedicht musz der Historie nicht achtnlich seyn. Die Historie erzählet alle Thaten eines Helden, das Heldengedicht aber besingt nur eine Hauptbandlung. Der Geschichtschreiber erzählet die Handlungen, wie sie sind; der Heldendichter aber ist der Meister seiner Materie, und richtet sie nach der Wahrscheinlichkeit und dem Endzwecke seines Gedichtes ein.

r) Es ist nicht wenig lustig, so manche tiefe Kunstrichter nach einem Dinge jagen zu sehn, das nicht zu finden ist; sie nehmen es immer, ohne den geringsten Grund, für ausgemacht an, daß es ein solches genaues Kennzeichen giebt, welches die epische Poesie von ieder andern Dichtungsart unterscheidet. Die Werke des Geistes fließen in einander, wie die Farben; in ihren starken Tinten sind sie leicht zu unterscheiden; aber sie sind so vieler Mannichfaltigkeit, und so viel verschiedner Formen faehig, daß wir niemals sagen koennen, wo die eine Art sich endigt, und

B

die

que cum sententiarum tum verborum amabilis ac simplex maiestas, non hymni aut odæ essent habenda; epicis potius carminibus illa adscribere maxime esset necesse. Magnam aliorum argumentorum vim contra eos, qui Lucanum epice cantasse clamant, sine negotio congerere possem: sed cur plura? Res omnis iam satis euieta est s).

Proxime nostram de Pharsalia sententiam attingunt, qui carmen dogmaticum illud esse iubent. *Battensium* certe si audire volumus, Pharsalia nil aliud erit, nisi poema didacticum. Omnis quidem sententia siue enuntiatio versibus reddita illi est poema didacticum: omnia autem alia poeseos genera comprehendit fictione versibus conscripta t). Tria deinde constituit poeseos dogmaticae genera, historicum, philosophicum et didacticum strictè sic dictum. Historico generi adscribit nominatim Lucani Pharsaliam u). Videsne sententiarum cognationem? Hac certe finitione Bartheusiana stabilita ac recepta omnis causa erit perorata. At

Nunc, age, quid nostrum concertum diuidat, audi!

Non

die andre beginnt. Nach dem Geschmacke des groesten Theils der Leser ist wenig Grund zu zweifeln, daß ein Werk, welches heldenmuetige Thaten in einem erhabnem Stil erzæhlt, allezeit, ohne weitere Forderungen, fuer ein episches Gedicht gehalten wird. Vid versio Theoristica artis criticae Homianae P. III. p. 268.

- s) Equidem cum nunquam tantum mihi sumserim, vt lectorum consensum mea solum auctoritate sat infirma extorquere vellem, transcribere huc placet verba *Crusii*, Angli acutissimi, qui in libro, qui inscribitur: *The lives of the Roman Poets* Vol. I. p. 331. de Pharsalia rectissime sic disputat: *As this poem is not built on the plan of Homer or Virgil's, the Critics have given themselves a great deal of needless trouble, in comparing their way of excuting the design of theirs with that of the Pharsalia; thereby making it an Epic instead of a narrative historical Poem. — I shall proceed to observe, that the Pharsalia not being a fable founded on some probable story, which is essential to the Epic Poem, but a remarkable piece of history related in verse, it requir'd a very different conduct in the execution; and tho' it might admit of some ornaments, it absolutely excluded all such fiction, as was any way contrary to the matter of fact in the historical narration. — Quem locum mihi pro summa sua humanitate et amicitia indicauit et suggessit Cl. Briegelebius, vir doctrinae politiori deditissimus.*

t) vid. Cours de Belles-Lettres T. III. p. 85.

u) vid. ibid. p. 87.

Non enim omnibus sese probare hanc finitionem, ex aliorum dissensu statim intelligitur. Namque illi proprium poeseos genus constituere carmina historica affirmant, praeceptaque tantum siue disciplinae poetae dogmatico relinquunt, res gestas siue actiones vindicant poetae historico. Quod quidem facile a nobis impetrant, si eorum finitioni aures praebere velimus. Dum enim arctioribus limitibus coercerent carmen dogmaticum, idque orationem esse contendunt, ita praecepta siue sententias tradens, vt quam perfectissime sensibus accommodentur, aut cum Cel. Heymio ita illud describunt, vt sit notio aliqua, siue sententia, siue sententiarum, adeoque etiam praeceptorum de quacunque siue scientia siue arte, aliquis complexus, eo sermonis genere expositus, quod quam maxime ad permulcendum voluprate aliqua animum vin habeat x); sine molestia seiuncta habebimus carmina historica a carminibus didacticis. Nonnulla etiam ad Batteusii sententiam refellendam iucunde tradit *Dufebius*, poeta, iudexque poetarum princeps, in epistolis omnibus deliciarum poeticarum aestimatoribus summo iure acceptissimis y); licet viro elegantissimo de Batteusianis poeseos didacticis generibus singulis disputare haud placuerit. Maxime autem vellem, vt disertius de genere illo historico et de Pharsalia in primis sententiam suam nobis exposuisset; quod vt proxime fiat, vehementer opto.

Ne quis vero in vniuersa hac disputatione pertinaces, difficiles atque *λογωμαχες* nos esse existimet, lubenter in partes alias transibimus, si ille, Batteusii finitione probata, Pharsaliam carmen dogmaticum, adeoque omnia carmina historica, vt sunt Sillii Italici, Nonni, aliorumque, esse genus quoddam poeseos didacticae, affirmauerit; modo id nobis dare voluerit, materiam siue argumentum Pharsaliae profus esse historicum, siue quod res gestas illa contineat, siue nos doceat (*διδασκη*) facta et actiones ex historiae campo petitas; orationem autem, qua illa exponuntur, esse maiestatis haud raro plenissimam, ideoque poesi epicae magis, quam didacticae, conuenientem.

Itaque tandem aliquando hanc sententiam nobis ponere licebit: *Pharsalia est carmen historicum.* Lucanus historiam belli ciuiliis a

B 2

Cae-

x) vid. proemium viri excellentissimi ad Virgilii Georgica p. III sq.

y) vid. Briefe zur Bildung des Geschmacks P. II. ep. 1 et 2.

Caesare et Pompeio maxime gesti ab eius origine vsque ad exitum, incorruptorum testium fide innixus, ita exposuit, vt non solum versu, sed et aliis ornamentis poeticis, descriptionibus, sententiis, comparationibus, fictionibus, verbisque a sermone pedestri alienis, Pharsaliam suam ab historia mera, a carmine epico et dogmatico, quam maxime distingueret. Silium Italicum, cuius poema de bello Punico secundo cum Statio et Valerio Flacco alio tempore, diligentia summa adhibita, examinabo, carmen quoque historicum, forte ad Lucani exemplum, composuisse, quis ignorat?

Causa hac perorata, cuique suum iudicium esto. Clamet nunc alius: Lucanus est poeta epicus! alius: Lucanum fidelem agnosco historiae narratorem, simulque poetam non contemnendum! alius alia clamet; equidem nec huic nec illi repugnabo. Quam enim rota hac lite vtilitatem aut fructum consequi poterimus? Non ob rei grauitatem haec omnia a me sunt disputata; sed quia mihi verendum erat, ne multi, his deliciis dediti, vitio id mihi verterent, meque nobilissimam saepeque agitatam causam iniustissime praeteriisse, non sine mea molestia hinc inde creparent. Lucanum, aut quemcunque alium poetam, si adire et legere voluptas est, non seure et contracta fronte inquirere soleo, cuiusnam poeseos generi carmina illius sint annumeranda; sed iucunditatem, delectationem, animique requiem ex illis percipere mihi que parare cupio. Quam ob causam nunc potiora certe exponere lubet, quae in Pharsaliae lectione animum suauiter tenuerint atque mouerint, quae displicuerint, quae fastidium crearent. *Hoc me amplector vno, hoc amo, hoc laudo.*

Pace nunc conditionibus, vt putamus, paene Attalidis, nobis conciliato, Horatianum illud explicandum est, quod non sine causa grauissima, neque vt ille, quem *Rabenerius* ridet, Virgilianum: *Pro-cumbit humi bos*, in huius disputationis fronte posui:

*Nil fuit vnquam
Sic impar sibi -- --*

Nescio sane, an quicquam aliud vniuersam Pharsaliae *οἰκονομίαν* siue totius operis collocationem breuius magisque praecise adumbrare possit. Nos certe huic quasi fundamento omnem censuram nostram super-

superstruemus. Quid enim? facere non possum, quin Lucanum et laudem et vituperem, quin eum amem, simulque ei indigner. Multa habet bona, mediocria, et vitiosa aequae multa; limatus est atque rudis; venustus et deformis; ingeniosus et obrufus; sublimis atque humilis; horridus et nitidus; incultus et laetus; ieiunus et plenus. Modo videmus eum magna cum admiratione humo se tollentem; labentem modo turpiter. Modo paruus videtur; modo sentitur ingens. Modo eius oratio aequabiliter, pure fluit et leniter, tanquam flumen pellucidum; modo ruit et fertur, vt torrens turbidus, prae-rupto decurrens monte,

*Sernit agros, sernit sata laeta boumque labores,
Praecipitesque trahit siluas.*

Modo, quid? quod saepius, figuris et metaphoris non tam exornat, quam potius obruit opus suum; modo communi vritur et iusta dicendi ratione, suauissimeque animum nostrum auresque permulcer. Saepe caprat argutias sententiasque spinosas; mox eum in rectam redeuntem viam, resque grauissimas summo cum decore et maiestate, vulgaria aequo carmine canentem, libenter conspiciamus. Quid multa? Pharsaliam verissime nominauerim tabulam immensae magnitudinis, quam artifex aptissimus lineis manu audacissima descripsit, cui hinc inde colores varios induxit, atque nonnulla politissima arte perfecit, quam vero, operi nimis mature immortalus, imperfectam ac rudem reliquit, vbi nos artem quidem felicem admiramur, vbi dispersae apparent veneres, vbi amicus deest colorum concentus, vbi desideramus iustam vmbrae et luminis dispositionem, vbi videmus, quid artifex efficere potuisset, vbi dolemus, mortis acerbitate illum fuisse impeditum, quo minus loca inania explere, naeuosque abstergere potuerit. Equidem facile crediderim, Lucanum lima mordacissima opus immortale politurum et ad perfectionem quandam perducturum fuisse, nisi dura fati necessitas manum illi retraxisset. Forte idem amicis dixit, quod b. *Cronegkius* morti proximus suis:

*Haett' ihm die Parce laengres Leben
Vnd minder Fluechtigkeit gegeben;
So wuerden seine Schriften rein
Vnd kritisch ausgebessert seyn.*

aut Ouidianum illud:

Emendaturus, si licuisset, erat.

Operis perfectioni intentum fuisse multumque studii in eo corrigendo posuisse Lucanum, ex vetere auctore, siue ille sit *Suetonius*, siue alius, probabile fit z). Lucanum enim cum vxore, *Polla Argentaria*, foemina doctissima a), tres priores Pharsaliae libros emendasse, ille narrat. Iam vero omnes, Pharsaliam nec negligenter nec inconsiderate legentes, facile concedent, tres libros istos priores paucioribus, quam septem reliquos, nauis laborare: at hoc tamen simul nobis dabunt, multos etiam nunc inesse, adeoque hac prima censura, licet illam reliqui etiam libri experti fuissent, carmen nondum ad summam perfectionem peruenturum fuisse. Sed poeta noster eo tempore vix annum viceimum septimum attigerat, nimisque ardor iuuenilis forte illum impediuerat, quo minus ingenii luxuriam funditus depasceret. Quod si eam aetatem ingressus fuisset, quo ingenii maturitas laetissima exoriri, quo adolefcentia calidior deseruiscere, quo rationis iudiciiue nerui robur nancisci solent firmitus, omnia fortasse loca ista, quae vbertate iusto pleniore exsurgunt, moderaturus, decusque honestius insignisque iis allaturus fuisset. Verum enim vero, Lucanum vitioso saeculi et linguae Romanae genio corruptum, nunquam, quantum quidem licet conicere, eam elegantiam, suauitatem, iucunditatem mirificam, castitatemque sermonis naturalem, quam in Virgilio carminibus exosculamur, consecuturum fuisse existimo.

Rapit nunc animum Virgilio mentio iniecta ad quaestionem nobilissimam: Vtrum Lucanus Virgilio sit superior, an potius inferior? Quae quidem quaestio tor habuit aduersarios et defensores, quot Pharsaliam aut conuiciis obruerunt aut laudibus ornarunt. Et

z) vid. Vita Lucani in clarissimorum auctorum vitis, plurimis Suetonii editionibus adiectis.

a) De qua Calliope Papinii canit:

*Nec solum dabo carminis nitorem,
Sed taedis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio tuo decoram,
Qualem blanda Venus, daretque Iuno,
Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore.*

Cf. Fulgofus L. VIII. cap. 3. Tanto ingenio doctrinaque fuit Polla, ve coeptos a viro permultos versus ipsa eadem sylli grauitate atque eloquentia perficeret, atque epigrammata etiam peritissime conficeret.

intra et extra muros Iliacos hic peccatum esse, sententiis censorum variorum diligenter examinatis, intelligo. Alii, in quibus eminent *Job. Sulpitius Verulanus*, cuius comparationem Virgilio et Lucani pulchram in priore huius disputationis parte attuli, et *Palmerius b)*, Lucanum, nisi superiorem, parem tamen Virgilio esse affirmarunt. Alii, ut *Scaligeri*, pater et filius, imprecationibus quasi et diris Verulanos Palmeriosque exagitare; Lucanum stultum, stolidum, fatuum, fungum, bardum, blennum, bucconem, canem latrantem appellare aliisque conuiciis laceßere, ideoque plane ista comparatione indignum iudicare c). Equidem nunc omnibus iis missis meam edicere de omni hac lite sententiam breuiter conabor.

Comparationi Lucani cum Virgilio locum dedisse opinionem, qua Pharsalia carmen iudicatur epicum, dubitatione caret. Quod si igitur assumeris et statueris, Pharsaliam poeseos epicae rationibus et regulis esse diiudicandam, bellum illud statim erit compositum, Virgiliusque sine magna luctatione palmam Lucano auferet. Etsi enim Virgilius ipse interdum normam transiuerit epicam; tamen cum Lucano collatus ille omnes regulas, hic plane nullas obseruasse videtur. Si vero illud, quod verosimilius est, amplectamur, Lucanum noluisse componere carmen ad praecepta poeseos epicae, atque aliud artis diuinæ genus sectatum esse, maxima comparationis pars, quae ad totius operis collocationem et inuentionem in primis spectat, vana erit atque inutilis. Omnis igitur vtriusque poetae comparatio hac ratione eo redibit, ut de singulis sententiis et locis, orationeque, qua illa

b) vid. eius *Κριτικὸν ἐπιχειρημα* pro Lucano contra Virgilium a Iano Berkelio editum. Cf. *Oeuvres de Mr. de S. Evremont* T. III. p. 58 sq. *Welwood* l. l.

Magnus Francogallorum poeta tragicus, *Corneille*, Pharsaliam diligenter legisse, imitatus esse, saepe laudasse, Virgilioque praeculisse dicitur (v. *Essai sur le Poëme epique par Mr. de Voltaire*). Quod aegre ferens *Boilauus*, ita de eo canit:

*Mais ce parfait censeur se trouve rarement
Tel excelle à rimer qui juge söttement
Tel s'est fait par ses vers distinguer dans la ville
Qui jamais de Lucain, n'a distingué Virgile.*

Vid. eius *Art poétique* Ch. IV.

c) vid. e. g. *Iof. Scaligeri* Praef. ad Manilium, eiusdemque epist. eius opusculis (Francof. 1612. 8.) subiunctae p. 221 sqq.

illa vestita sunt atque ornata, quaerere liceat. Quid igitur? In sententiis et figuris maior mihi videtur Lucanus, in orationis et verborum vsu atque dilectu Virgilius. Nam in sententiis et figuris effendis Lucanus non solum sublimior, plenior et grandior incedit Virgilio, plurimis certe in locis *): sed maiorem etiam feliciorumque inueniendi et cogitandi vim in hoc ingenii artisque negotio exferuit. Quicquid enim Virgilius praeclari et superbi habet in descriptionibus, comparationibus, alioque sententiarum rerumque ornatu, id omne fere ab Homero, vt vel pueri norunt, mutuatus est, rarissimeque ipse ad nobilem maiestatem et audacem figurarum impetum ardoremue adspirauit. Quae omnia exemplis postea proferendis facillime confirmari poterunt. Virgilium autem toto orationis habitu, elegantia, cultu sermonis simplici et naturali, amoenissima verborum collocatione, numeris aptioribus suauisque cadentibus, membrisque iuste modificatis longe anteponendum esse Lucano, ex iisdem exemplis statim patebit d). Quocirca Aeneis semper maiore cum voluptate et auiditate ab omnibus litterarum mansuetiorum cultoribus lecta est, et in posterum hunc honorem semper sibi vindicabit. Suadendum quoque omnino est hanc ob causam iuuentutis doctoribus, vt Virgilio carmina prius amiculis suis praelegant et explacent, quam Lucani Pharsaliam aliorumque poetarum aequalium carmina. Virgilio enim ingenium amabile, et perfecta eius canendi ratio, limet et poliat ante necesse est puerorum sensus, quam carminibus minus elegantibus et venustis assuescant. Pharsaliae lectio tum demum a Musarum alumnis instituatur, si ingenium et iudicandi vis Virgilio aliorumque poetarum castiorum lectione satis confirmata et adulta apparebit, si cantum tubae clarioris magisque sonorae aures eorum sine horrore lubenterque percipere ac ferre poterunt. Quae certe ratione non illud erit verendum, quod alii veriti sunt e), ne laudibus

*) *Faime Lucain, et le pratique volontiers, non tant pour son style, que pour sa valeur propre.* Montagne Essais L. II. ch. 10.

d) *His versification wants the delicaty and has mony of Virgils, but has fire and spirit in it, that transports you,* inquit Crusius l. I. p. 344.

e) vid. *Journal encyclopédique a. 1767. T. IV. P. I. p. 74.* vbi praeter alia haec non sine suauitate rationeque iudicandi nobili disputantur: *Le mauvais goût qui a regné pendant une si longue suite de siècles, et que la sainte critique a eu tant de peine à banir du sanctuaire des Muses, est tout prêt*

dibus Pharsaliae nimis celebratis adolescentes citius ad eius perlustrationem adducantur aut potius rapiantur, adeoque pulchri verique sensus in eorum animis tenellis corrumpatur et suffocetur.

Omnia fere, quae ad vniuersam Pharsaliae censuram pertinent, a me iam dicta sunt atque explicata. Iam vero de singulis nobis est instituendus sermo, exemplisque, quantum per hanc breuitatem fieri potest, idoneis ratio sententiae nostrae reddenda. Quid vero multa? Statim,

Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi!

Primum vitia et peccata poetae nostri praecipua eminentioraque colligam et recensēbo, vt virtutes ac laudes illius postea praedicandae et expromendae eo splendidius eluceſcant, et in sensus aduersariorum acrius incurrant.

Luxuriare Pharsaliae scriptorem genioque poetico nimium indulgere, omnes eius cum amici tum inimici vno ore profitentur. Non fraeno, vt par erat, coërcuit Pegasum; non satis repressit spiritus audacia insolita exsultantes; non depauit animo tranquillo, vt Virgilius verecundus, luxuriam, quae in summa vberitate inest; verbis efferuescentibus, et paullo nimium redundantibus foecunditas eius sese effert; multa, sicut in vitibus, reuocanda et amputanda fuissent, quae sese nimium profuderunt, si carmen suum in summum perfectionis gradum euehere voluisset. Quae quia ante oculos sita sunt, omnisque fere Pharsaliae pagina rem comprobant, vno tantummodo exemplo hoc munere perfungar. Alia simul alio loco non satis commode proferenda in huius exempli illustratione facile notari poterunt.

Vel

peut-être à y rentrer; peut-être la beauté sera sacrifiée à l'affectation, la noblesse à la fausse grandeur, la majesté à la pompe, le génie au délire, l'incohérence des pensées au feu de l'imagination. Prodiger des éloges à Lucain, n'est-ce pas inviter nos Poètes à l'imiter? recommander la lecture de la Pharsale aux jeunes gens, n'est-ce pas leur dire en même temps, renoncez pour toujours à la justesse, au goût?

C

Vel ad eos, qui nunquam Pharsaliam legerint, famam pertulisse arbitror siue fabulam siue veram narrationem, a Lucano de Iulio Caesare, noctu sine vilo comite, nisi nauta, mare Adriaticum traiciente, expressam, annexamque illi descriptionem tempestatis omnium atrocissimam et intolerabilem f). Quam narrationem poeta nobili et laudabili ratione ingreditur:

*Soluerat armorum fessas nox languida curas,
Parua quies miseris: in quorum pectora somno
Dat vires fortuna minor: iam castra fiebant:
Caesar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat: cunctisque relictis
Sola placet Fortuna comes, tentoria postquam
Egressus, vigillumque somno cedentia membra
Transiit, questus tacite quod fallere posset;
Littora curua legit, primisque inuenit in vndis
Rupibus exesis haerentem fune carinam.*

Venit deinde Caesar in casam nautae, cui nomen Amyclae, quem e somno excitat. Amyclas expergefactus

*Scintillam tenuem commotos pavit in ignes,
Securus belli: praedam civilibus armis
Scit non esse casus.*

Quae quidem recte dicta, quantum intelligo, sufficiebant: at Lucano aliter visum; addit enim satis incaute minusque apposite:

*O vitae tuta facultas
Pauperis, angustique lares! o munera nondum
Intellecta Deum! quibus hoc contingere templis
Aut potius muris, nullo trepidare tumultu,
Caesarea pulsante manu?*

Haec sententia non solum retardat narrationis cursum, sed minus vera etiam videtur, vt *Burmannus* recte obseruauit, qui propterea legi mauult:

*O munera quondam
Intellecta Deum!*

An

f) vid. L. V. vf. 504 sqq. Semel hic monendum videtur, editione me vti *Burmanniana*.

An enim, inquit, hoc tempore nondum intellecta Deum haec munerera erant? quum iam olim, quum simplicitas et paupertas apud tempus prius laudata et culta fuerit, in primis a Romanis, sed qui iam a maiorum moribus descuerant. Haftenus Burmannus. Pergit Lucanus, Amyclam cum Caesare collocutum esse atque haec ei respondisse:

*Multa quidem probibent nocturno credere ponto.
Nam sol non rutilus deduxit in aequora nubes,
Concordesque tulit radios: Noton altera Phoebi,
Altera pars Borean diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit
Spectantes oculos infirmo lumine passus.*

Sat quidem prognosticorum! at vndecim sequentibus versibus longe plura commemorat nauta loquax Caesari admodum festinanti. Enumerat adeo res intellectu plane difficiles et absonas. Aues enim nidolos nocte spissa seruantes quomodo bonus obseruare poterat Amyclas? Vide modo!

*Nec placet incertus, qui prouocat aequora, Delphin:
Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare
Ardea sublimis, pennae confisa natanti:
Quodque caput spargens vndis, velut occupat imbrem,
Instabili gressu metitur littora cornix.*

Traicere mare incipiunt Caesar et nauta; oritur tempestas; Amyclas desperat de felici nauigatione; Caesar

*Sperne minas, inquit, Pelagi, ventoque furenti
Trade sinum etc.*

Tunc ipsam

Glomerant nubes tempestatem foedam;

omnes a poeta conuocantur venti, quibus adiutus descriptionem fingit valde fastidiosam. Sexaginta, et quod excurrit, versus ab eo adhibentur huic picturae immani. Nonnulla tantummodo afferam:

*Nunc quoque tanta maris moles creuisset in astra,
Ni Superum rector pressisset nubibus vndas.
Non coeli nox illa fuit: latet obsitus aër*

C 2

Infer-

*Infernae squalore domus, nimbisque grauatius
 Opprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
 Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
 Clava, sed obscurum nimbofus dissilit aër.
 Tunc Superùm conuexa tremunt, atque arduus axis
 Intonuit, motaque poli compage laborat.
 Extimuit natura Cbaos: rupisse videntur
 Concordes elementa moras, rursusque redire
 Nox manes mixtura Deis. spes vna salutis
 Quod tanta mundi nondum periere ruina. etc.*

Forſitan haec quibusdam ferenda videri poſſent. Addam igitur protuſus nauſeam mouentia:

*Non Euri ceſſaſſe minas, non imbribus atrum
 Aeolii iacuiſſe Notum ſub carcere ſaxi
 Crediderim cunctos ſolita de parte vuentes
 Defendiſſe ſuas violento turbine terras,
 Sic pelagus manſiſſe lcoo. nec parua procellis
 Aequora rapta ferunt: Aegaeas tranſit in vndas
 Tyrrhenum: ſonat Ionio vagus Hadria ponto.*

Quis, quaeso, non ſentit ſtatim, vel me tacente, quanta hyperbolarum, ineptiarum, argutiarum vi copiaque moleſta haec verba laborent? His vero ſimilia permulta habet Noſter, eaque in primis amalle ſeduloque capraſſe videtur.

Legatis mihi nunc et conferatis cum tabula hac Lucanica illam notiſſimam belliſſimamque tempeſtatis deſcriptionem Virgilianam g). Quam nitida, culta, graua, concifa omnia in aetatis Auguſteae vate! in Neronis aemulo omnia quam horrida, aſpera, puerilia, effuſa! Giganti vaſto et immani ſimilis incedit Lucanus, corpore informi, quod nimia carnis offiumque moles opprimit, cuius greſſus ſatis pleni quidem ſunt atque immenſi, qui vero ſimul aliquam inertiae et anxieratis ſpeciem produnt. Mantuanum contra poeram in hoc ſimilitudinis genere comparauerim iuueni iuſtae magnitudinis, cuius pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum mouet oculos, et delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore

g) Aen. I, 82 ſqq.

pore consentiunt. *Explicat quidem citatis passibus celerem cursum:* at eo ipso acceptior est, quod nimium nos haud detinet, iustoque temporis spatio stadium conficit. Fortius profecto animum impellunt quatuor versus:

*Eripiunt subito nubes coelum diemque,
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus actber:
Praesentemque viris intentant omnia mortem.*

Magis, inquam, placent et mouent hi versus Virgiliani, quam omnis Lucani nostri pompa speciosa et molesta.

Locum alium, vbi simili ratione Lucanus laxissimas ingenio dedit habenas, indicabo tantum, et adscribam *Burmanni* de illo latam sententiam. „L. IV. vl. 50, inquit *Belga* doctissimus h), per centum et triginta fere versus ingenio infreno immittit habenas, et „ingentes illas aquas, quibuscum Caesar in Hispania confictatus fuit, „ita describit, ac si graue Pyrrhae seculum rediisset, et Deucalioneum „vix huic esset diluuium comparandum; rupes et siluas absorptas, „et decrescente aqua colles emerfisse, plane *Quidii* luxurians ingenium secutus, narrat; ita vt castra Caesaris non modo natate, sed „submersa cum omni exercitu, credere debeamus. -- Praeterea „tantam et tam terribilem hiemem nobis affert, qualem vix sub axe „boreali sensisse incolas credibile est; qua in serenitatem veris amoenissimam reducta, et subita rerum mutatione facta, tam intolerabilem aestum et calorem successisse, quali nec Arabia, nec Africa, „nec India vnquam exarsit: quo feruore niuibus ex Pyrenaeis montibus solutis, et aquis Sicoris superfluentibus, omnia circum loca, „montes et colles ita reectos fuisse, vt inde fames tam dira et violenta orta fuerit, vt exercitus Caesaris fere inedia moreretur. „Hunc furibundi ingenii aestum, qui conferre velit cum vera Caesaris narratione lib. 1. B. C. cap. 41 et sqq. videbit ineptias Lucani. „

Ab eadem ingenii luxuriantis radice pullulasse quoque videtur magna locorum silua, in quibus declamatoris personam ineptam nimisque vehementem sibi imposuit poeta. Memorabilem in primis

C 3

locum

h) vid. Praef. ad Lucan.

locum deprehendo L. VII. vs. 385 sqq. vbi, post orationes a Caesare et Pompeio ante proelium saeuissimum in campis Pharsalicis ad exercitus habitas, poeta, per octoginta fere versus Romanorum tristia fata deplorat, omnia reipublicae mala ante bellum, quod canit, ciuile inflicta recenset, eaque nullius esse momenti affirmat, si quis ea cum illis, quae infelicem istam pugnam secuta fuerint, comparauerit. Quae quidem plane inepto loco posita mihi videntur. Nam magna illa expectatio, ardore militum antea commemorato, orationibusque imperatorum feliciter fictis excitata, hac interposita declamatione nobis inuitis inhihetur, moleste minuitur, sensusque prorsus refrigescunt. Ferenda etiam haec esse si concedamus, tamen minore apparatu et copia proferri debuissent.

Multae orationes, quas carmini suo inseruit poeta, eodem garulitatis vitio laborant, quae quia sunt longiores, aliud exemplum proferam paullo commodius. Facinus Scaevae, centurionis Caesariani, satis temerarium et paene incredibile apud Dyrhachium (*excussio enim oculo*, inquit Suetonius i), *transfixus femore et humero, centum et viginti ictibus scuto perforato, custodiam portae commissi castelli retinuit*) argumentum quidem erat ornatus poetici capax aptumque apprime: at vero etiam nec ita graue, nec magnum, vt centum et viginti versus eius descriptioni impendendi essent k). Sed Lucano in omnia alia abire placuit. Hic campus illi videbatur spatiosissimus, in quo vox eius declamatoria et loquax egregie iactare se posset. Cincinnis omnia ac furo tam incompote obruit, vt vix dimidia huius narrationis parte perlecta, celerime fastidio quodam et satietate ab ea abalienemur. Pulchra insunt, fateor, et quae facile attentionem animi ad se rapiant, vt comparatio vs. 208 a poeta ficta, licet in hac ipsa argutus fiat:

*Sic Libycus densis elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squalenti missilei tergo
Frangit, et haerentes mota cute discutit bastas.
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixae stant tela serae: tot facta sagittis,
Tot iaculis, vnani non explent vulnera mortem.*

Sed

i) in vita Iul. Caes. cap. LXVIII. cf. *Caesar de B. C. III, 51.*
k) *Libr. VI. vs. 144-262.*

Sed in reliquis partibus tam multus est et in solens, ut neque *Alonso d'Ercilla*, quem Lucanum Hispanorum vocant, neque *Juan de Rufo*, aliiue poetae recentiores Hispanici tumidiores, cum Nostro comparari possint 1). Vitiorem caeterum, quibus scaret iste locus, fingulorum commemoratione facile superfedere possumus, quum *Burmannus* iam hac in re otium nobis fecerit m).

Vos igitur, o dulces Musarum alumni, si fortitudinis praestantioris imago vobis est delineanda, deflectite, oculosque auertite ab inculca, abdita nimiumque opaca Lucani pictura! Sequimini potius, si quemquam sequi placet, Virgilii, artificis acutioris, manum felicem, qua Nisi et Euryali audaciae forma nobiliter iucundiusque expressa est atque depicta n)!

Ex eodem garrulitatis et loquacitatis profluentis fonte manavit fortasse declamatoria et insuavis illa eruditionis ostentatio, siue loca, in quibus magis Cathedram quam Parnassum Noster occupasse videtur. Modo enim Geographum agit, siue Thessaliae vrbes, oppida, vicos et pagos nimia diligentia describat o); siue Galliae populos maiores minoresue recensat p). Modo Physici personam sustinet, siue herbas, venena, artesque magicas Circes Thessalicae operose describat q); siue Syrtes pingat r); siue recensum agat omnium, qui a mundo condito ad hoc aeuum cogniti fuere, et in omnibus orbis partibus reperti, serpentum, a quibus infestatus fuit Caronis exercitus s). Modo astrorum peritiam intem-

1) Lucani patria fuit Corduba in Hispania. Quare plures opinati sunt, eum hanc ipsam ob causam fucum illum intolerabilem quaesuisse, quem exprobramus in eius popularibus cum veteribus tum recentioribus. Sed auctor vitae, quem Suetonium putant, Lucanum vix octo menses natum a patre Romam missum esse, narrat, ut veram Romanae linguae indolem eo facilius et purius addisceret. Nihil igitur ex popularium consuetudine trahere poterat Lucani oratio. Vix vero crediderim, solum sanguinem Hispanicum aut coelum Cordubense, sub quo natus erat, ingenium eius corrupisse.

m) vid. Praef. laud.

n) vid. Aen. L. IX. vs. 176 sqq.

o) L. VI. vs. 333 - 394.

p) L. I. vs. 396 - 465. Vtilitatis speciem forte haec habere possent: at carmina deformant lectoremque fatigant. Cf. L. III. vs. 170 - 298.

q) L. VI. vs. 416 sqq. cf. *Burmanni* praef. et *Crusius* l. l. p. 341.

r) L. IX. vs. 303 - 318.

s) L. IX. vs. 700 - 733. cf. *Burmannus* et *Crusius* ll. cc.



intempestiue expromit, vbi Pompeium cum naue ex Thessalia fugientem inducit t), „in qua, Burmannus inquit, otiose sedens, et quasi post tam insignem cladem, nulla cura et sollicitudine agitaretur, „rectorem consulens de cursus instituendi ratione, tam inepte ignarus rei naualis exhibetur, quasi post tot nauales expeditiones et victorias de piratis, per omnes maris mediterranei partes, annonam, que ex omnibus prouinciis transmarinis congestam, nunc a naua subito et forte reperto, discere debuerit nauigandi et cursum dirigendi artem, quam duces, qui tot maria peragrasset, ignorare turpe videri debuisset. Sed haec occasio captanda erat, vt se, ipso Pompeio rei nauticae et gubernandi nauis peritorem, nihil ignorare huius quoque scientiae naualis ostenderet. Et hinc forte memor illius dicti, *Nauita de ventis* etc. gubernatorem nobis insigniter garulorum, et Pompeium in hac rerum perturbatione diligentem auditorem exhibet, et omnium astrorum, ad quae solent cursum dirigere, motum, et quae praeterea obseruare in coelo et mari solent, nauatae, peritissime differentem inducit. O lepidum caput, si cerebrum habuisset! „

Eandem illam loquacitatem vanitatemque multum habere argutarum et hyperbolarum, patet iam ex allatis exemplis. Sed alias quasdam harum deliciarum adiciere lubet. L. VI. vs. 349 Emathiam, vbi Caesar et Pompeius de rerum summa dimicauerant, appellat *melius mansuram sub vndis*, quasi, inquit Burmannus, nullus alius locus poruisset capi proelio, si ille aquis tectus mansisset. -- L. II. vs. 211 sqq., vbi Romanum quendam de aduersa reipublicae fortuna querentem inducit, praeter alia haec leguntur:

*In fluium primi cecidere, in corpora summi;
Praecipites haesere rates, et strage cruenta
Interruptus aquis fluxit prior annis in aequor,
Ad molem stetit vnda sequens: iam sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Praecipitique ruens Tyberina ad flumina riuo
Haerentes adiuuit aquas: nec iam aluceus annem,
Nec retinent ripae, redeuntque caduera campo.*

Insigne profecto exaggerationis exemplum! Per multa hae familia offert poeta noster, vbi maioris momenti rem describere aggreditur.

Argu-

t). L. VIII. vs. 172 sqq.



Argutatur Lucanus, ubi dicit, Carthaginem et Marium, in huius urbis ruinis versantem, sibi inuicem solatio fuisse.

Solatio fati

Carthago, Mariusque tulit: pariterque iacentes

Ignouere Deis 1).

Sed *Bouhours* iam hos versus carpsit, simulque etiam poetam quodammodo excusauit; hunc igitur, si placer, consule 2).

Idem *Bouhours*, censor ingeniosus, saepe etiam iniustus, versum nobilissimum:

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni 3),

acriter et copiose, ut omnes norunt, examinavit atque castigauit 2). Si vnquam haec sententia defensionem et excusationem admittat, optime, si quid video, causam celeberrimam egit *Crusius*, cuius verba eorum in gratiam, qui libro huius auctoris viliissimo non vruntur, adscribam:

„Now we are examining his turns of thought, it may divert the reader to take notice of the celebrated one, So much censured by *Bouhours* for its false brightness: *Victrix causa deis* -- when it has been condemn'd by So great a Critic, it may seem a vain attempt to justify the Author; and it will be naturally expected, that if I don't immediately give it up, I shall only make some faint apology for it: as that the young Poet, hurry'd by the warmth of his imagination, cou'd not omit the fine contrast, that the opposition of the Gods on one side, and *Caro* on the other, seem'd to make; that had he liv'd to correct and compleat the *Pharsalia*, he wou'd have struck out this and many other lines; and that it only belongs to a *Virgil* to think nobly justly and naturally at onie. I am so far from this, that I am a going to shew the Poet did not design to make the opposition between the Gods and *Caro* so great, as the Critics have understood it. It seems plain from the liberty the heathen Poets took with their Gods on all occasion, that the setting them on one side and a man of *Caro's* strict and admir'd integrity on the other, is not so great an error as *Bouhours* wou'd represent it

1) L. II. vs. 91 sqq.

2) vid. *Bouhoursii* librum: *Die Art in witzigen Schriften wohl zu denken* p. 369.

3) L. I. vs. 128.

a) vid. *Bouhours* l. l. p. 4 sqq.

„it to be. He cannot help considering it in the same light he shou'd
 „have done had it been made by a modern Poet, between the supream
 „Being and weak fallible man. It is evident and has been prov'd by
 „many learned men, that the Heathens apply'd to their Gods only,
 „to render them happy in mind, body and estate; that is, to give
 „them good intellectual faculties, health and riches. Virtue and pru-
 „dence they ow'd only to themselves. -- it is highly probable, that
 „Lucan when he wou'd speak as a Poet, and agreeable to the common
 „notion, meant no more by this opposing Cato to the Gods, than
 „that fortune favour'd the worst side, when right and justice was on
 „the other and that. Cato embrac'd the latter tho' victory and suc-
 „cess shou'd attend the former. Besides when Lucan had a mind
 „to express his own private and more philosophical sentiments of
 „the Deity, he knew better. „ a)

Effraenata ingenii vis calorque ille iuuenilis interdum etiam
 Nostrum inconsideratum et negligentem reddidit. Caesare enim
 Romam veniente, in curiam senatorum turbam venisse narrat:

Phoebea palatia complet

Turba Patrum, nullo cogendi iure Senatus,

E latebris educta suis b).

licet ante dixerit:

Poenarum extremum cui, quod castra secutus

Sit patriae, Magnumque ducem, totumque Senatum

Ignosci c);

alioque loco:

Nec solum vulgus inani

Percussum terrore pauet: sed curia, et ipsi

Sedibus exsiluere Patres, inuisaque belli

Consulibus fugiens mandat decreta Senatus d).

Vbi vero aerarium a Caesare direptum commemorat, praeter alia
 incredibilia pecuniam tum quoque ablatam fuisse, quam Fabricius a
 Pyrrho accepisset, nobis vult persuadere. Sic enim Noster:

Tunc conditus imo

Eruitur templo, multis intactus ab annis,

Romani census populi, quem Punica bella,

Quem

a) vid. *Crusius* l. I. p. 342 sq.

c) *L. II. vf. 519* sqq.

b) *L. III. vf. 103* sqq.

d) *L. I. vf. 486* sqq.

*Quem dederat Perses, quem victi praeda Philippi:
Quod tibi Roma fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius Regi non vendidit auro etc. e).*

De quibus Burmannus sic iudicat: „Quocunque modo tentes (hunc locum) emendare, sensus absurdus exiit. Si enim, ut constat, Fabricius auro Pyrrhi corrumpi non potuit, nec accepit, non potuit hoc inlatum fuisse aerario. Nec etiam si statuas, victo Pyrrho, Fabricium id aurum, quod antea ipsi obtulerat, in praedam abstulisse, non illud tantum fuisse fingi potest, ut in haec tempora seruatum a Caesare fuerit ablatum: Pyrrhus enim egens fere semper pecunia Tarentinarum et Graecarum ciuitatum opibus subleuatus fuit. Sed hoc iam priori versu a nostro relatam, ubi aurum a Tarentinis et sociis Pyrrho fugiente relictum, in aerarium illatum memorauit, cui accessio huius auri, quo Fabricium tentauit Pyrrhus, inepte subiicitur, et omnia ultra fidem, quasi ex hoc auro adhuc non tactum superfuisset aliquid in haec tempora: et stulte deinde etiam uictoria Asiae, Cyprii regis gazam etc. subiicit; quum omnes uno ore solum aerarium sanctum, in quo pecunia ex vicesima monumissionum recondita, ad extremos reip. casus seruari solebat; non vero aerarium commune, in quo parum pecuniae hoc tempore fuisse crediderim, expilatam dicant.

Plura huius ἀβελήσιας et incuriae exempla proferre possem, si necessitas me premeret f). Hac vero non urgente, pergamus ad alia.

Singulares dicendi formae, durae et intricatae orationis structurae, homocoteleuta, aliaque vel aëuo, quo vixit Noster, corruptis loquendi formulis infecto, vel negligentiae eius tribuenda, haud raro occurrunt in Pharsaliae versibus. Quae quia a Burmanno diligenter sunt annotata, silentio praeteribimus g).

Praecipuis grauiissimisque Lucani vitiis, ineptiis et peccatis recentis atque exprobratis, tempus omnino est, cum eo in gratiam redeundi, exemplisque quibusdam illustrioribus praestantissimisque ingenium eius, quod ex tenebris haud raro emicat, diuinum et excellens, eorum in primis ob causam, qui omnem utilitatem suauitatemque nostro abiudicant, leuiter saltem adumbrandi atque declarandi.

D 2

Primum

e) L. III. vs. 155 sqq. f) vid. tamen L. IV. vs. 373. VI, 51. 57. 169 VII, 64 sqq. g) vid. e. g. L. I. vs. 51. 82. 98. 453. 509. II, 133. 212. 329. 703. III, 98. IV, 20. 231. 666. VI, 624. 642.

Primum igitur aio et edico, Lucanum descriptionum poetiarum
 haud mediocrem esse artificem, quicquid contra dicat *Voltaire* h).
 Certe ea, quam nunc afferam, nec Homero nec Virgilio indigna videtur.

*Lucus erat, longo numquam violatus ab aeuo,
 Obscurum cingens connexis aëra ramis i),
 Et gelidas alte summotis solibus umbras
 Hunc non ruricolae Panes, nemorumque potentes
 Siluani, Nymphaeque tenent, sed barbara ritu
 Sacra deum, structae divis altaribus k) arae;
 Omnis et humanis lustrata cruoribus arbor.
 Si qua fidem meruit Superos nigrata vetustas,
 Illis et volucres metuunt insidere ramis,
 Et lustris recubare ferae: nec ventus in illas
 Incubuit siluas, excussaque nubibus atris
 Fulgura: non vllis frondem praebentibus auris,
 Arboribus suis horror inest. tum plurima nigris
 Fontibus vnda cadit, simulacraque moesta deorum
 Arte carent, caesisque exstant infornia truncis.
 Ipse situs, putrique facit iam robore pallor
 Attonitos: non vulgatis sacrata figuris
 Numina sic metuunt: tantum terroribus addit,
 Quos timeant non nosse deos. iam fama ferebat
 Saepè cauas motu terrae mugire cavernas,
 Et procumbentes iterum consurgere taxos,
 Et non ardentis fulgere incendia silvae,
 Roboraque amplexos circum fluxisse dracones.
 Non illum cultu populi propiore frequentant,
 Sed cessere deis. medio quum Phoebus in axe est,
 Aut coelum nox atra tenet, pauet ipse sacerdos
 Accessus, dominumque timet deprendere luci l).*

Nec leuiore arte instructus et ornatus apparet Lucanus, quando
 hominum mores et ingenia pingere studet. Exemplo esto descriptio
 Catonis, cuius particulam tantum dabo:

-- Hi mores, haec duri immota Catonis

Secta fuit, seruare modum, finemque tenere,

Natu-

h) vid. *Essay sur la poésie epique* chap. IV.

i) *Obscurum condens aëra* legi mauult Burmannus ad h. l.

k) Alii: *feralibus*.

l) L. III. vs. 399 sqq.

*Naturamque sequi, patriaeque impendere vitam;
 Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
 Huic epulae, vicisse famam: magnique penates,
 Subnouisse hiemem tecto: pretiosaque vestis,
 Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
 Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
 Progenies; Vrbe pater est, Vrbiq;ue maritus:
 Iustitiae cultor, rigidi seruator honesti:
 In commune bonus: nullosque Catonis in actus
 Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas m).*

Eadem ingenii felicitate delineauit et expressit poeta imaginem Pompeii atque Caesaris n). Nihil equidem limatius politiusue vquam reperire potui.

Orationes, quas finxit noster bene multas, declamatorem, vt professi sumus, saepe arguunt: saepe autem tam artificiose, tam viuide, tam grauiter sunt excogitatae, vt hanc solam ob causam *Hugo Grotius*, summus vir poetaeque haud vulgaris, tanti aestimasse videatur, Lucani Pharsaliam, vt in marsupio illam nunquam non gestaret secum, immo et saepius oscularetur o). Tanta illis haud raro inest maiestas, tanta sententiarum mirifica vis. vt poetae, licet interdum ad vitia sibi sollennia recurrar, lubentissime ignoscam, eumque ardentissime colere et amare soleam. Vnam tantummodo orationem, alias obiter indicaturus, huc transferam. Est illa nobilissima Catonis ad Brutum oratio, dignissima profecto, quae ad verbum ediscatur p).

*Summum, Brute, nefas ciuilia bella fatemur:
 Sed quo fata trabunt, virtus secura sequetur.
 Crimen erit Superis et me fecisse nocentem.
 Sidera quis, mundumque velit spectare cadentem
 Expers ipse metus? quis, quum ruat arduus aether,*

D 3

Terra

m) L. II. vf. 380 sqq. cf. *Crusius* l. I. p. 340.

n) L. I. vf. 129 199.

o) vid. *L'esprit de Guy Patin* (Amst. 1710 p. 28).p) *Cato's character is set in an extraordinary light, which is still remarkable for that awful regard paid him by Brutus, when he endeavours to dissuade him from joining with either side in the Civil war. How like an Oracle does the Poet introduce Cato's reply. That great man in answer to what Brutus had objected, gives this excellent reason for his joining with Pompey. Me milite etc. -- As this whole passage is very fine. I shall present the reader with some more quotations from it. vid. *Crusius* l. I. p. 340.*

Terra labet, mixto coëuntis pondere mundi
 Compressas tenuisse manus? gentesque furorem
 Hesperium ignotae, Romanaque bella sequentur,
 Deductique fretis alio sub fidere reges?
 Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,
 O Superi, motura Dacas ut clade Getasque,
 Securo me Roma cadat. Ceu morte parentem
 Natorum orbatum, longum producere funus
 Ad tumulum iubet ipse dolor: iuvat ignibus atris
 Inseruisse manus, constructoque aggere busti
 Ipsam atras tenuisse faces ^{q)}: non ante reuellar
 Exanimem quam te complectar, Roma, tuumque
 Nomen, Libertas, et inanem prosequar umbram.
 Sic eat: immites Romana piacula Diui
 Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.
 O utinam, coelique deis, Erebiq; liberet
 Hoc caput in cunctas damnatum exponere poenas!
 Deuotum hostiles Decium pressere cateruae:
 Me geminae figant acies, me barbara telis
 Rheni turba petat: cunctis ego peruius hastis
 Excipiam medius totius vulnera belli.
 Hic redimat sanguis populos: hac caede luatur,
 Quidquid Romani meruerunt pendere mores.
 Ad iuga cur faciles populi, cur sacra volentes
 Regna pati pereunt? Me solum inuadite ferro,
 Me frustra leges et inania iura tuentem:
 Hic dubit, hic pacem iugulus, finemque laborum
 Gentibus Hesperiiis: post me regnare volenti
 Non opus est bello. quin publica signa, ducentque
 Pompeum sequimur? nec, si fortuna fauebit,
 Hunc quoque totius sibi ius promittere mundi
 Non bene compertum est: ideo me milite vincat,
 Ne sibi se vicisse putet ^{r)}.
 Non aliter, ita me deus amet,

Περικλῆς Ὀλυμπιος

Ἡστραπτ', ἐθρόντα, συνενδία τὴν Ἑλλάδα

Πει.9α

q) *Fumeras tenuisse faces*, Markland ad Statii Silv. I, 4, 65. r) L.II. v.286 sqq.

Πειθῶ τις ἐπεκάλειζεν ἐπὶ τοῖς χεῖρεσι,
Ὠπίως ἐκλήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων,
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκρωμένοις s).

Hac Catonis oratione neruosa haud inferior est oratio Bruti ad Catonem t); Marciae ad Catonem u); Curionis ad Caesarem x); Caesaris ad milites y); Pompeii ad milites z); praecellens in primis Caesaris oratio ad milites feditiosos:

*Qui modo in absentem vultu, dextraque furebas
Miles, habes nudum, promptumque ad vulnera pectus.*

Hic fuge, si belli firmis placet, ense relicto etc. a).

Oratio Pompeii ad Corneliam, et Corneliae ad Pompeium b); Ciceronis ad Pompeium c); Caesaris ad milites ante proelium Pharsalicum prorsus egregia, cuius initium:

O dormitor mundi, rerum fortuna mearum,

Miles, adest toties optatae copia pugnae.

Nil opus est votis: iam fatum arcessite ferro.

In manibus vestris, quantus sit Caesar, habetis. etc. a).

Oratio Pothini ad Ptolemaeum e); Catonis ad milites ignauos f); alia Catonis oratio g); Labieni oratio ad Catonem, huiusque responsio h). De qua sic *Voltarius* iudicat: *Le plus bel endroit qui soit dans Lucain, et peut être dans aucun poëte, est le discours de Caton, dans lequel ce stoïque, ennemi des fables, refuse d'entrer seulement le temple de Jupiter Hammon i).*

Descriptionum haud vulgarem artificem esse Lucanum, affirmavi. *Crusium* me hac in re consentientem habere, nunc demum intelligo, et credo, sequentem potissimum descriptionem illum in animo habuisse, cum doceret, Lucanum sic omnia pingere, vt res, quasi gerantur, sub adspectum paene subiiciantur, vt spectatores magis, quam lectores, esse videamur k). Equidem, dum lego descriptionem Pythiae ἐνθ' ἄστια-ζέσσης, tota fere mente, atque omnibus artibus contremisco.

Tandem

- s) *Eupolis* ap. *Diod. Sic.* XII. t) L. II. vf. 242 sqq. u) L. II. vf. 338 sqq.
x) L. I. vf. 273 sqq. y) L. I. vf. 299 sqq. z) L. II. vf. 531 sqq. a) L. V. vf. 319 sqq.
b) L. V. v. 739 sqq. c) L. VII. v. 68 sqq. d) L. VII. v. 250 sqq. e) L. VIII. v. 484 sqq.
f) L. IX. v. 256 sqq. g) L. IX. v. 379 sqq. h) L. IX. v. 550 sqq.

i) vid. *Essay sur la Poësie epique* l. I.

k) But to return to Lucan he has so masterly a manner in his descriptions, that you seem rather a spectator than a reader of several transactions he relates, and he interests you so much by the warmth of his temper,

E

which

Tandem conterrita virgo.

Confugit ad tripodas, vastisque abducta cauernis

Haesit, et inuito concepit pectore numen,

Quod non exhaustae per tot iam secula rupis

Spiritus ingessit nati: tandemque potitus

Pectore Cirrhaeo, non umquam plenior artus

Phoebados irrumpit Paean: mentemque priorem

Expulit, atque hominem toto sibi cedere iussit

Pectore. bacchatur demens aliena per antrum

Colla ferens, vittasque Dei, Phoebaeaque ferta

Erectis discussa comis, per inania templi

Ancipiti ceruice rotat, spargiturque vaganti

Obstantes tripodas, magnoque exaestuatur igne,

Iratum te, Phoebae, ferens: nec verberare solo

Vteris, et stimulis: flammos in viscera mergis.

Accipit et frenos: nec tantum prodere vati,

Quantum scire, licet. venit aetas omnis in unam

Congeriem: miserumque premunt tot secula pectus

Tanta patet rerum series, atque omne futurum

Nititur in lucem: vocemque petentia fata

Luctantur: non prima dies, non vltima mundi,

Non modus Oceani, numerus non deerat arenae.

Talis in Euboico vates Cumana recessu,

Indignata suum multis seruire furorem

Gentibus, ex tanta fatorum strage superba

Excerptis Romana manu. sic plena laborat

Phemonoë Phoebae, dum te consultor operit

Castalia tellure Dei vix inuenit, Appi,

Inter fata diu quaerens tam magna latentem.

Spumea tunc primum rabies vesana per ora

Effluit, et gemitus, et anbelo clara meatu

Murmura: tunc maestus vatis ululatus in antris

Extremaeque sonant domita iam virgine voces 1).

Suaue

which he communicates to his writings, that you insensibly become a person concern'd, and find yourself engag'd on the same side with them, tho' you had resolv'd to be indifferent. vid. *Crusius* l. 1. p. 343.

1) L. V. vs. 161 sqq.

Suaue et iucundum erit negotium, si cum hac augusta pictura comparaueris, quam Virgilius dedit de Sibylla Cumanam). Nonnulla inuenies, quae Lucanus muruatus esse videtur a Marone, qualia sunt haec:

Cui talia fanti

*Ante fores, subito non vultus, non color vnus,
Non comae mansere comae, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; maiorque videri,
Nec mortale sonans, asslata est numine quando
Iam propiore Dei.*

Sed Lucanum varias nouasque duxisse lineas proprio Marte, quisquis statim intelliget. Summa Lucani ars quoque splendet in descriptione proelii Pharsalici, pauca si exceperis, vbi rerum magnitudine poetae animus inflammatus paullo latius euagatus est. Quomodo, quaeso, haec placent?

Ventum erat ad robur Magni, mediasque cateruas;

Quod totos errore vago perfuderat agros,

Constitit hic bellum, fortunaque Caesaris haesit.

Non illic regum auxiliis collecta inuentus

Bella gerit, ferrumque manus mouere rogatae:

Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.

Hic furor, hic rabies, hic tua sunt crimina, Caesar!

Hanc fuge, mens, partem belli, tenebrisque relinque.

Nullaque tantorum discat a me vate malorum,

Quam multum bellis liceat ciuilibus, aetas.

Ab potius pereant lacrimae, pereantque querelae n).

Hunc igitur tantumque artificem, tantum mentis et affectuum concitorem non amemus, non summa prosequamur veneratione?

Acutissimus apparet Lucani animus in detegendis et explicandis rerum causis. Qui haec negare audeat, legat mihi locum, vbi causas belli ciuilibis non minus subtiliter indagat, quam poëticae illustrat atque exponit o).

Narrationis exemplum praeclarum est locus, vbi Pompeii sepulturam poeta commemorat p).

Quam felix et splendidus Noster saepe sit in sententiis, figuris, epithetis, aliisque huius generis ornamentis inueniendis, ex locis laudatis satis iam apparere puto. Pauca igitur adiciam de eius comparisonibus, in quibus vere mihi deus videtur. Vtiosas interdum offert; concedo q): sed maxima huius ornatus pars laude summa et imitatione est dignissima. Elaboratissima mihi videtur, qua Pompeium quercui annosae similem fuisse dicit:

Qualis frugifero quercus sublimis in agro

Exunias veteres populi, sacrataque gestans

Dona ilicum: nec iam validis radicibus haerens,

Pondere fixa suo est: nudosque per aëra ramos

Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram:

At quamuis primo nucet casura sub Euro,

E 2

Tot

m) Aen. L. VI. vs. 45 sqq.

n) L. VII. vs. 545 sqq.

o) L. I. vs. 158 sqq.

p) L. IX. vs. 712 sqq.

q) L. II. vs. 454 sqq.

Tot circum siluae firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur r.)
Eandem amoenitatem spirat Caesaris imago, hac comparatione adumbrata:

Amoenitatem expressum ventis per nubila fulmen
Aetheris impulsu sonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque pauentes
Terruit, obliqua praefringens lumina flamma.
In sua templa furit, nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque reuertens
Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes s).

Adde aliam imaginem:

Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus orbi
Constatuta fides Superam, ferale per urbem
Iustitiam: tacuit plebeio tactus amictu
Omnis honor: nullos conitata est purpura fasces.
Tum questus reuere suos, magnusque per omnes
Errauit sine voce dolor. sic funere primo
Atronitae tacuere domus, quum corpora nondum
Conclamata iacent, nec mater crine soluto
Exigit ad saeuos famularum brachia planctus:
Sed quum membra premit fugiente rigentia vita,
Vultusque exanimis, oculosque in morte iacentes;
Nec dum est ille dolor, sed iam metus: incubat amens,
Miraturque malum t).

Et quomodo praeterire possem, quae sequuntur?

Sic ubi desuetae siluis in carcere clauso
Mansuevere ferae, et vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida paruis
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitaeque tument gustato sanguine fauces:
Feruet et a trepido vix ablinet ira magistro u).

Alias Lucani comparationes in margine notauit x). Liceat nunc mihi, hic subsistere, finemque disputationi imponere. Plures virtutes Lucani atque elegantias colligere ac cumulare non opus videtur, cum iam in eo sim, vt Chrestomathiam locorum pulchriorum ex Manilio, Lucano, Silio Italico, Statio et Valerio Flacco conquisitorum parem et construam. Quam operam, licet mihi illa non admodum sit iucunda, gratam tamen et vtilem fore spero iunioribus potissimum poetis nostris, qui vasta illa antiquitatis monumenta, ob dumeta, illis obsita sunt, non penitus perlustrare plerumque solent, licet permulta illis inesse constet, quibus spiritum et ingenium solent, et nouos, intactos et gratissimos thesauros abunde construere possint.

r) L. I. v. 136 sqq. s) L. I. v. 151 sqq. t) L. II. v. 16 sqq. u) L. IV. v. 237 sqq.
x) vid. L. I. v. 72. 100. 205. 259. 293. 327. 389. 498. II. 601. III. 362. IV. 437.
549. 724. V. 99. 183. 436. 711. VI. 65. 220. 265. 272. 285. 293. VII. 125.
145. 568. IX. 182. 283. 781. 798. 808. X. 445. 464.

CORRIG. P. 7. l. 10. l. persuaderi. p. 9. l. 9. l. non tam. p. 12. l. 19. l. volupe est.
p. 14. l. 14. 15. l. qua-qua-qua.

Kapitel 78M 488(6)

Kapsel

78 M 488 (6)

ULB Halle

3

005 151 767







00 vgl. P 1 = Ch 4024

DE
LVCANI PHARSALIA
DISPVATIO

10

QVAM
EX AVCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHICI AMPLISSIMI

A. D. IANVAR. CLOIDCCCLXVIII.

DEFENDENT

IOH. GEORG. MEVSEL

PHILOSOPHIAE ET LITTERARVM ELEGANTIORVM DOCTOR,
INSTITVTI REGII DISCIPLINARVM HISTOR. QVOD GOTTINGAE
FLORET, ET SOCIETATIS LATINAE MARCHICO BADENSIS

SODALIS

ET

IOH. CHRISTLIEB KOENNECKE

MAGDEBVRGICVS,
THEOLOGIAE ET LITTERARVM ELEGANTIORVM CVLTOR.

PARS POSTERIOR.

HALAE

EX OFFICINA CVRTIANA.

